



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VIII. Quantam sidem faciat, seu quam vim probandi habeat Sigillum  
scripturæ seu literis appositum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nisi talium rationum sint locii, aut sermo sit de rationibus Mercatorum, quorum libri, suppositis certis circumstantiis, ex recepta in pluribus locis consuetudine, in foro Mercatorum, quoad negotiationes & commercia etiam plenè probant.

Epistola sive literæ missivæ regulariter pro scribente non probant, fidem tamen aliquam faciunt contra scribentem, si constet ab illo scriptam fuisse, & ab eo cui mittitur acceptatam fuisse: contra tertium tamen regulariter nihil probat ob rationes jam sæpius allatas.

## §. VIII.

*Quantam fidem faciat, seu quantum probandi habeat Sigillum scripturæ seu literis appositum?*

Sigillum, quo scripturæ tales munitur, duplex est, publicum scilicet quod publicâ auctoritate Magistratûs alicujus vel Communitatis, apponitur; Et privatum, quo uti solet privata persona pro suis negotiis & literis expediendis. Publico sigillo si instrumentum aliquod munitur sit, plena fides huic habetur in rebus ad jurisdictionem aut officium tale sigillum apprimendum spectantibus. *c. 2. h. s.* Neque tunc alia recognitio necessaria est, cum de sigillo authentico Magistratûs constet: & hoc quidem ex recepta consuetudine: spectato tamen jure communi probabilius est, quod literæ taliter signatæ in præjudicium alterius non plenè probent, nisi in causis levioribus, quia periculum est, ne tam facilè inducatur aliquis ad falsum signandum, quàm ad falsum dicendum.

Quod si literis talibus seu scripturæ

privatæ proprium tantum persone præposita sigillum appositum sit, in præjudicium quidem apponentis plenâ fidem habet, etiam sine alia subscriptione aut propria, aut testium (quia non minus sigillum quàm subscriptioni credi potest) in nomen sigillum tale ut proprium sigillum recognoscatur, aut probetur, vel saltem in literis non exprimatur, cujus, si res conjecturis aliis aut circumstantiis hoc colligi possit: non autem in præjudicium tertii, cum non possit majorem fidem facere, quàm simplex unius testis testimonium, qui in præjudicium tertii non plenè probat: & hinc quamvis doctores Virorum omni exceptione majorum, si sigilla eorum apposita sint, talibus plenam fidem facere possint in præjudicium tertii, non minus, quàm duobus si sigilla sua hi recognoscant, & apponent) securius tamen erit, à sigillo subscriptam esse scripturam talem, ut suos characteres & literas habere sigillum, quod facilius recognosci possit.

## §. IX.

*De productione Instrumentorum.*

Instrumenta potest utraque pars producere, ordinariè non tantum post publicationem constatam, sed etiam post publicationem attestatorum, donec in causa conclusum sit. *c. Cum dilectus 9. l. 1.* Neque enim in tali productione Instrumentorum, post publicationem attestatorum factam, periculum est alicujus subornationis, sicut esset, si liceret ad testes producere; mirum ergo non est hoc esse prohibitum, non autem illud post conclusionem verò in causa instrum.